

DE SACROSANCTO  
**MISSÆ**  
SACRIFICIO  
**DECISIONES.**  
*I N Q U I B U S*

*Ex Studio, & Responsis Cleri Patavini Anno 1690.*

Non solum præcipuæ Quæstiones concernentes veritatem, essentiam, fructum, actionem, applicationem, & stipem Sacrificii Eucharistici explicantur: sed etiam de Sacrificiis, ac Sacerdotibus Legis Naturæ, & Mosaicæ plenè disseritur; de Tabernaculo, Temploque Judæorum, de cunctis Levitarum ordinibus, de Prophetis, Prophetissis, ac Sibillis, & demum de Ecclesiis, ac Altaribus Christianorum, Campanilibus, Campanis, Horologiis, Organis, deque Tonsura, Veste Talari, ac aliis Ornamentis, & obligationibus Sacerdotum.

Additis Decretis plurimis Sacræ Congregationis  
**SACRIFICIUM MISSÆ**  
concernentibus.

*L I B E R T E R T I U S.*



JOANNI S. R. E. CARDINALI  
BADUARIO

Olim Venetiarum Patriarchæ, ac Dalmatiæ Primati,  
nunc **EPISCOPO BRIXIENSI**

Joannes Clericus Præpositus Patavinus Vitæ perennitatem.



**U**ltiplici jure, Eminentiss. ac Reverendiss. Præ-  
sul, Decisiones has de SACROSANCTO  
MISSÆ SACRIFICIO, Religiosissimo Nomini Vestro,  
sicut sex ab hinc annis in prima, ita nunc in secunda earum Edi-  
tione, inaugurare convenit. Siquidem cū inter cæteras Dispu-  
tationes Sacras, hæc de Liturgia sit prorsus Divina, securius sibi  
Asylum asciscere non poterat, quàm apud Purpuratum Antisti-  
tem,



tem, qui undique redolet Sanctitatem, cum Pietatis Vestrae in quocumque Sacrificiorum genere Splendor refulgeat. Si enim mihi loqui liceat de Mortificatione corporis, quam Apostolus vocat *Hosiam viventem, Sanctam, Deo placentem*, sive de Orationis frequentia, quae à Regio Psalte dicitur, *Elevatio manuum, Sacrificium Vespertinum*; aut de Misericordia in pauperes, quae à Divo Chrysostomo describitur, *Sacrificatio munda, Immaculata*, aliisque heroicis Virtutibus EMINENTIAE VESTRAE, quae per metaphoram Sacrificia à Sanctis Patribus nuncupantur, Hunc de SACRIFICIO, etsi tenuem Tractatum, Humanitas Vestra benignè susceptrura creditur, quae in hoc præcipuo Religionis genere cunctis se Admirabilem, & Venerabilem reddit. De Sacrificiis autem Legis Naturae, ac Mosaicae, eorumque Sacerdotibus, Victimis, Templis, Ritibusque discursus in his Decisionibus inserti haud dedecet eruditionem EMINENTIAE VESTRAE, quae in Sacrorum revolutione Librorum enutrita, singularis intelligentiae, universalisque cognitionis gratia præcellit. Porro quae de EUCHARISTICO Legis gratiae SACRIFICIO Quaestiones Theologicae examinantur circa ejus veritatem, essentiam, fructum, actionem, & applicationem, fas est, ut delecent EMINENTISSIMAM Amplitudinem VESTRAM in scholasticis versatissimam disputationibus, prout etiam quae de Ecclesiarum aedificatione, consecratione, benedictione, reconciliatione, cultu, ac munditia traduntur, tamquam eximiae devotioni EJUS conformia, opus est, ut illam illiciant; alliciant verò quae de Musica, Organis, Cantu Gregoriano, aliisque ad solemnem Immolationem spectantibus, ob animi IPSIUS Spiritualem comitatem, hic disquiruntur. At quae de Sacerdotum ornatu in doctrina, moribus, tonsura, modestia, Sacrorumque Rituum observantia exponuntur, non minorem sunt plausum consecutura ab EMINENTIA VESTRA, cujus præcipuus scopus est, ac semper fuit, non nisi pios, doctosque Clericos promovere, nullumque ad Mystrarum gradum admittere, quem bonitas, disciplina, & scientia non exornet. Sed & alia accedit inaugurationis Libri hujusurgens ratio, has scilicet Decisiones esse partus, ac partes egregii illius Zeli, quo, Venerabilis memoriae, Eminentissimus, ac Reverendissimus GREGORIUS S. R. E. Cardinalis BARBADICUS olim Episcopus Patavinus ferebat; Cujus jussu ego, inter ejus Ministros minimus, per plures continuatos annos, Parochis, ac Confessariis totius hujus Paduanæ Diocesis illas proposui, quarum studio Clerus omnis valde profecit in Morali, Prudentialique Theologia, summa cum laude,

ac me-

ac merito ejusdem Eminentissimi Præfulis, cujus Spiritum EMINENTIA VESTRA ab initio, ejus impositione manuum PATRIARCHA Venetiarum consecratus, attraxit; & subindè illius Sanctitatem vitæ, Pastoralem sollicitudinem, Vigilantiam, ac (quæ in Animarum Pastoribus magis est plausibilis laus) egenorum levamen, & solamen mirificè imitata semper fuit.

Hæc sunt argumenta, Eminentissime, atque Religiosissime ANTISTES, quæ meam adegerunt humilitatem, ut Librum hunc ad Thronum Celsitudinis Vestrae, primò, ac secundo deferrem, præter certam in me scientiam, & notitiam aliarum omnium Virtutum, quibus VESTRA EMINENTIA, usque dum in hoc augusto Patavinorum Canonicorum coetu erat aggregata, coruscabat: quarum fragrantia Serenissimus VENETÆ REIPUBLICÆ DUX excitatus Illam ad Insulam Primicerialem Ducalis Basilicæ S. MARCI primitus vocavit, & non multò post Excellentissimus SENATUS ad Pastoralem curam Veneti Patriarchatus provexit; nunc autem Catholicæ Ecclesiæ Supremus Pastor CLEMENS PAPA XI. earumdem Virtutum odore perfusus, eximiam Personam Vestram Sacra Purpura induit, in Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Collegio collocavit, & ad amplissimum Brixiae Episcopatum transtulit regendum; ut ibidem numerosissimum illum CHRISTI Gregem radii Paternæ Charitatis EMINENTIAE VESTRAE foverent, ac illustrarent; & ille exterorum ingluvie exercituum territus respiraret, videns se habere Pastorem, qualem desiderabat Apostolus, *Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinulentum, non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ bene præpositum*.

Has itaque exiles Decisiones, ac in ipsis, & cum ipsis non exiguum Auctoris obsequium, EMINENTISSIME PRINCEPS, benevolo dignetur Humanitas Vestra affectu suscipere; dum Eidem à DEO OPTIMO MAXIMO felicem, ac perennem deprecor vitam; & Purpurei fimbriam Paludamenti ejus venerabundus deosculor.

Patavii Nonis Septembris 1706.



AUCTORIS  
AD VEN. PATAVINUM CLERUM,  
aliosque eruditos Lectores

PARÆNESIS.

**I** Ardē quidem in lucem prodeunt hæc de SACROSAN-  
CTO MISSÆ SACRIFICIO Decisiones, in qui-  
bus novem ab hinc annis studia vestra impendistis, eaque  
mibi, tunc in Episcopali Curia Præsidenti, mandastis;  
sed veniam meretur & opus, & Auctor, pluribus aliis  
occupatus laboribus, inter quos EROTEMATUM Liber, qui ad in-  
stantiam plurimorum huic antecessit. Cæterum tarditatem Decisionum  
harum compensabunt eruditiones, quibus politæ reperientur: ita ta-  
men, ut adinstar monilium, & inaurium, quibus cum Annulis, &  
Mitra, aureaque veste ornata incessit Regina Esther, in nibilo San-  
ctitati hujus materia sit derogatum. Subjectum præsentis Operis est  
Sacrosanctum MISSÆ Sacrificium, in quo Victimæ, quæ immolatur,  
est CHRISTUS DOMINUS, & de eodem juxta Scholasti-  
cam, & Moralem Theologiam exponuntur, quæ ejusdem Sacrificii ve-  
ritatem, essentiam, fructum, actionem, applicationem, aliæque inti-  
miora ipsius Sacri operis concernunt. Ad ornatum verò ejusdem con-  
gesta est non inutilis, nec injucunda notitia Mystarum, ac Sacrificio-  
rum Legis Naturæ, ac Mosaicæ, Tabernaculi, ac Templi descriptio,  
Levitarum omnium ordinum declaratio, aliarumque plurium religiosarum  
personarum ad Divinum cultum spectantium expositio; ut studio-  
si Lectores, quæ longa serie annorum, & verborum Chronologi sacri  
disputant, compendiosè in harum Decisionum lectura comprehendant.  
Sequuntur postea plurima, quæ nunc in Lege Gratiæ necessaria sunt  
ad dignè litandum, Tempia, Altaria, eorum ædificatio, consecratio,  
& dum polluantur reconciliatio, aliæque accessoria, idest Campanæ,  
Campanilia, Horologia, Organa, Supellectilia Sacra, in quarum pro-  
visione, ac manutentione ad quem spectent expensæ, juxta Sacros Ca-  
nones, & forensium doctrinam breviter, sed lucidè demonstratur.  
Tandem de ornatu Sacerdotum differitur, videlicet de conscientia  
puritate, Tonsura, Veste talari, ejusque colore, de Matutini ac  
Laudum præmittenda recitatione, observatione Rubricarum, nec non de  
Sacrarum Vestium mysteriis, tali methodo, ac forma, ut Lector mysta  
absque

absque tædio instruat, atque erudiat exemplis, ac Historiis non  
injucundis. Quod verò ad me attinet, benignitas studiosorum, quæ  
præteritas Decisiones amplexati sunt, ab omni censura non benevola secu-  
rum facit, prout tot mibi exhibentur testimonia, quot applausus à do-  
ctissimis Viris his, & cæteris meis retribuantur impressis Libris. Va-  
lete.





# T E N O R DECRETORUM

Sacræ Rituum, ac Concilii Tridentini Congregationis  
ad Missas celebrandas spectantium, & post Mis-  
sæ Romani recognitionem conditorum.

1. **R**ite celebrari Missa pro Defunctis ritu de Requiem, in Dominicis, & festis insepulto, & in Ecclesia præsentem corpore: sic decrevit Sac. Rit. Congreg. die 23. Maji 1603. Ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus ejus reservetur in sequentem diem ob reverentiam Paschæ: ex Rituali Romano Pauli Quinti.
2. Cineres, qui imponuntur capitibus fidelium, debent esse aridi; non in modum luti sunt distribuendi: 23. Maji 1603.
3. In Canone nomine Antistitis non sunt nominandi Superiores Regularium: die 12. Novembris 1605. Nec inferiores Episcopo.
4. Missa de Annuntiatione B. Virginis non est celebranda à feria v. majoris hebdomadæ, usque ad feriam iij. Paschæ inclusive die 9. Maji 1606.
5. Gloria in excelsis cum Credo omittitur in votivis pro re gravi, quando dicuntur cum paramentis viol. die 19. Maji 1607. Res autem gravis ea est, pro qua convenit totus Clerus cum Episcopo, ut eadem Sac. Rit. Congreg. decrevit eadem die.
6. Cereus Paschalis regulariter accendi debet ad Missas, & Vesperas solemnes in triduo Paschæ, in Sabbato in Albis, & Dominicis usque ad Ascensionem: in aliis servanda est consuetudo locorum: die 19. Maji 1607.
7. Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto pro voluntate Testatorum implenda: die 1. Septembris 1607. Non autem ad arbitrium vivorum, quod bene nota, sed pro implenda lege defunctorum.
8. In Altari privati Oratorii, cui conceditur ex privilegio Apostolico celebratio Missæ (exceptis solemnioribus festis) non potest in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, Annuntiatione, Assumptione Beatæ Virginis, festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. Die 17. Novembris 1607.
9. Communio Cleri facienda est in Cæna Domini: die 27. Septembris 1608.
10. Missa defunctorum certo die dicenda, eo

- impedito transferuntur in sequentem: die 27. Septembris 1608.
11. Sabbato Sancto non sunt pulsanda Campana ante Cathedralis, seu Matricis signum. Die 21. Martii 1609. Neque in Diocesi ante Parochialis signum. 9. Februar. 1608.
12. Abbates, & alii Superiores Regularium non possunt benedicere Paramenta Ecclesiarum non sibi subditarum: die 24. Aug. 1609. Neque Protonotarii: die 17. Julii 1627. Neque valet consuetudo Abbatum abrogata: die 18. Augusti 1629.
13. Diaconus non debet dare pacem laicis, neque Domino loci: die 5. Julii 1614.
14. In Oratione, A cunctis, nomina Patronorum, Sancti Michaelis, vel Sancti Joannis Baptistæ præponi debent Apostolis. Die 22. Augusti 1620.
15. In Parasceve si incidat festum Annuntiationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Missam audiendam; die 19. Februarii 1622. Nec in eadem die distribuenda est Eucharistia aliis, quam infirmis: ead. Sac. Congreg. eadem die.
16. Missa certis Regularibus concessa non possunt ab aliis dici, etiam in ipsorum Regularium Ecclesijs. 19. Novembris 1622.
17. Usus annuli in Missa prohibetur Protonotariis non participantibus, & quibuscumque aliis Doctoribus: die 11. Februarii 1623. Item & Canonice Cathedralium fuit prohibitus: die 20. Novembris 1628.
18. Qui habet onus celebrandi Missam de Rosario (exceptis Dominicis) possunt aliam dicere de Beatâ Virgine. Die 6. Maji 1623.
19. In festo Stigmatum S. Francisci color albus adhibetur: die 9. Decembris 1623.
20. Usus pileoli in Missa etiam extra Canonem concedi debet à Papa, & non ab alio. Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 2. Januarii 1590. & 17. Januarii 1595. concessit extra Canonem usum pileoli Episcopo Faventino; & respondit Archiepiscopo Urbini, eo non posse vii sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem postea sensit Sacra Rituum Congregatio die 31. Januarii 1626. & Canon ipse prohibet Episcopo velatum caput, ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest.

20. Celebrans, qui distribuit Cineres, Candelas, & Palmas, detecto capite distribuatur: die 18. Junii 1626.
21. In Missa Feriæ 4. temporum occurrentis in die octava Nativitatis Beatæ Virginis, Præfatio serialis dicitur: die 12. Decembris 1626.
22. Signum, quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum signo Crucis: die 13. Martii 1627.
23. In Altari, certis diebus privilegiato, non potest in iis dici Missa de Requiem in festo duplici de præcepto. 24. Aprilis 1627.
24. Communicantes infra oct. Ascensionis contingit separari à propria Præfatione: 28. Augusti 1627. Casus autem talis esse potest: Si occurrat festum Sancti Philippi, & Jacobi Apost. infra Oct. Ascensionis; nam Præfatio erit de Apostolis, Communicantes de Ascensione; licet in Missa nulla fiat commemoratio: idque accidere potest etiam in Inventione Sanctæ Crucis, & in Missis solemnitibus votivis, quæ dicuntur infra eandem Octavam, & habent Præfationem propriam.
25. In festis primæ classis non dicitur Oratio, Deus refugium, iusta dici à majoribus per annum: die 28. Augusti 1627. Accidit enim à Superiore decerni pro publica causa, quotidie dicendam Orationem, Deus refugium, seu aliam, & tunc vel dicitur loco teritiæ ad libitum, vel additur vii commemoratio.
26. In fine Missæ ad quodcumque Altare celebratæ fit reverentia Cruci, infra gradus, capite semper aperto: die 28. Augusti 1627. Rubrica enim generalis in Missali recogniti p. 2. tit. 12. num. 6. sic est corrigenda: Quibus omnibus absolutis extinguuntur per Ministrum candelæ; interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat, vel si in eo est tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, genuflectit. & facta reverentia, accipit biberum à Ministro, caput cooperit, &c. Hac Rubrica habetur in recognito Missali, licet fuerit tantum edita in ultimo Missali Vaticano Anno 1609. quam idem retinendam esse omnino decrevit Sacra Rit. Congregatio die, & anno, ut supra.
27. In diebus quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possunt dici Missæ votivæ, neque de Requiem: die 28. Augusti 1627. nimirum infra Oct. Epiphaniæ, Paschæ, Pentecostes, in Hebdomada majori, Feria quarta Cinerum; & in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes.
28. In Parasceve non immittitur particula in Calicem cum signis Crucis consuetis: die 28. Augusti 1627.
29. Gloria in excelsis in votivis Beatæ Mariæ omnino non dicitur, nisi in Sabbato, nec etiam in Ecclesia Beatæ Mariæ. Dicitur etiam in Missis festivis de Sancto, licet officium de eo non fiat in ejus festo.

30. Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Ecclesiam tardè pro solemni Missa, decrevit Sacra Rituum Congregatio præstare, quod recitetur tardius Hora Tertia, quam quod cantetur Missa de festo post Sextam. De hoc Decreto testatur Joann. Alcocer in suo Cærimoniali.
- Eodem Alcocer teste eadem Sacra Congregatio concessit insignioribus Regularium Ecclesijs usum planetarum plicatarum.
- Eodem teste eadem decrevit Celebrantem, & Ministros sedere posse, dum cantantur Epistola, & Graduale.
31. Missas, quæ circumferuntur, à Sac. Rit. Congreg. non approbatas, Sancti Gregorii pro vivis, & defunctis, XV. Auxiliatorum, & de Patre Eterno, & quascumque alias, exceptis iis, quæ sunt permixtæ certis Regularibus tantum, veluti Rosarii, Sanctæ Mariæ de Carmelo, & aliis; sicut etiam officia ab eadem non approbata, Sacra eadem Congreg. prohibuit, rejectis omnino, & damnavit repetitè, & pro prohibitis, rejectis, & damnatis haberi voluit. 8. Aprilis 1628.
- Declaravit autem novissimè eadem Sac. Rit. Congregat. per hoc Decretum non prohiberi Missas XXX. pro Defunctis à D. Gregorio institutas, in Dial. c. 53.
32. Abrogatus fuit abusus deferendi nocte in fer. 6. Parasceve Sanctissimam Eucharistiam, à Sac. Congregat. super negotia Episcoporum: die 22. Martii 1596.
33. Conventualis Missa cantari debet quotidie in collegiatis, quarum Clerus est numerosus, & redditus non tenues: 1603. Cirenza 14. Jan. 7.
- Nec potest omitti pro Missa Defunctorum 1602. Fondi 5. Martii 20.
- Missa Conventualis in festis tempore æstivo hora 14. hyemali hora 17. 1602. Castellana 27. Julii 75. §. 11.
- In feriis potest dici paulo citius, modò non valde diluculo. 1601. Alisse 20. Febr. 86. §. 2. 1602. Castellana 17. Septembris 102.
34. Votivæ Missæ non sunt tolerandæ in festo duplici, licet non sit de præcepto, exceptis Missis Defunctorum, præsertim in Altaribus privilegiatis. Idem decretum est de illis diebus, in quibus festum duplex transferri jubetur. Si verò sit festum de præcepto non sunt tolerandæ, neque in Altaribus privilegiatis, præter unam tantam præsentem corpore, ex Suar. & S. Congr.
35. Missæ triginta S. Gregorii dici debent successivè singulis triginta diebus, ut latius explicavi in Can. lib. 3. tit. 41. de Celebrat. Missarum num. 17. & in Collect. ad Jerem. 48. 10. 12.
36. Onera perpetua celebrandarum Missarum absque Episcopi licentia in scriptis, à secularibus sub pœna Interdicti ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda, à Regularibus verbò sine licentia Provincialis in scriptis sub pœna privationis officiorum, ac perpetuæ inhabi-



habilitatis ad illa, vocisque activa, & passiva, absque alia declaratione ipso facto incurrenda, non recipiantur Sac. Congr. Conc. sub Urban. VIII. Constituit. 43. *Cum sapè contingat*, Pro-existentibus in Italia, & in Insulis adjacentibus 21. Jun. 1625.

Qua' præcipit sub poena Interdicti ab ingressu Ecclesiæ eo ipso incurrenda iis, ad quos pertinet, ut pecunia, ac bona mobilia, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam secularibus, quam regularibus, atque illorum personis, in futurum simpliciter acquirenda, statim à die realis acquisitionis deponi debeant, apud eadem Sacram, vel Personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investendi in bonis immobilibus, fructiferis cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Ac si eadem bona auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, pretium eorumdem sub eadem poena debeat deponi, ac in aliis bonis stabilibus converti cum repetitione ejusdem oneris.

37. Episcopus sequestrare potest fructus Beneficii pro adimplendis Missarum oneribus, modo aperte constet de obligatione, vel ex fundatione, vel ex antiqua consuetudine. 1593. Fondi 15. Februar. 45. Non tamen molestare potest pro Missis omisit eum, qui se cum Rev. Fabrica composuit. 1655. Acquapendente 25. Junii 133.

38. Episcopus dispensare non potest ut Missæ relictae à Testatore in una Capella dicantur, vel remittantur in alia, quando satisfieri possint in propria. 1580. Hispalen. 30. Septembris. 156.

39. Etiam Regulares tenentur in libro scribere quando celebrantur. 1628. Oservanti 16. Junii 95. Licet satisfactio Missarum non solum per scripturam, sed etiam per omne genus probationum probari possit. 1655. Cefena 25. Jun. 136.

40. Regulares celebrantes in Ecclesia Monialium debent esse quinquaginta annorum. 1621. Faenza 4. Maii 68.

41. In Ecclesiis Parochiæ non celebretur Missa antequam sit finita Missa Parochialis; neque in ipsa Parochiali nisi post elevationem Sacramenti: & ubi plures Sacerdotes eodem tempore celebrant, non egrediatur unus antequam alter Sacramentum elevaverit, si commode fieri possit. Sac. Congr. Episc. Sarzanen. 14. Maii 1585.

42. Eleemosynam, seu stipendium aliquis pro Missa celebranda manuales accipiens, non potest illam celebrare per alium, retenta sibi parte eleemosynæ. S. Conc. Congr. in Decreto supracitato. num. 10.

43. Beneficarii tamen, vel tenentes legata celebrandarum Missarum, vel Officiaturas, etiam ad nutum amovibiles, non tenentur dare, nisi eleemosynam consuetam, seu præ-

scriptam ab Ordinario, ut declaravit ead. Sac. Congr. ad dictum Decretum. Barbosa de officio Parochi c. 11. n. 13.

44. Moniales singulis Missis pro singulis diebus debent esse contentæ; exceptis diebus celebrationis propriorum festorum, vel exequiarum alicujus Monialis. Possunt item permitti duæ in Monasteriis ita numerosis, ut omnes eidem Missæ nequeant intervenire. 1620. Lucca 22. Decembr. 220.

45. Per indultum Altaris privilegiati à Monialibus obtenti, in quo dicitur: *Ut quando-cunque ad dictum Altare per quemcumque Sacerdotem secularem, sive regularem Missam celebrata fuerit, &c.* Non intelligitur derogatum prohibitioni etiam Ordinarii, ne quis celebret in Ecclesia Monialium sine sua licentia. 1610. Napoli 10. Junii.

46. Intra clausuram omnino prohiberi debet celebratio, etiam ad communicandas infirmas. 1593. Lisbona 23. Aug. 263. 1611. 21. Jan. 7.

47. Parochi tenentur diebus Dominicis, ac aliis Festis applicare Sacrificium Missæ pro suis populis, ex pluribus Decretis S. Congregationis Concilii, & præcipue diei 10. Maji 1692. die 30. Augusti 1698. & die 14. Februar. 1699. relatis in sequenti Brevi Pontificis Innocentii XII. die 24. Aprilis 1699. videlicet.

#### INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

**N**uper à Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridenti. Interpretum, emanavit super quodam dubio pro parte Venerabilis fratris moderni Episcopi Pistoriensis, & Pratenfis Congregationi hujusmodi proposito, Decretum tenoris, qui sequitur, videlicet: Pistorien. & Praten. Cum Parochi Ecclesiarum Pistorien. & Praten. inter varias opiniones Doctorum involuti, negligant in dies celebrationem, & respective applicationem sacrificii pro populo juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini; Episcopus ad consulendum ne dum propria, verum etiam dictorum Parochorum conscientia, supplicat declarari: An dicti Parochi teneantur omnibus diebus Festis applicare Sacrificium pro populo, sive habeant congruam, sive non? Die 14. Februarii 1699. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridenti. Interpretum censuit, dandas esse resolutiones alias hæc de re editas, & signanter in Nullius Nonantulanæ Eminent. Abbati 30. Augusti 1698. tenoris, ut infra. Cum præcepto Divino iis, quibus Animarum cura commissa est, mandatum sit pro ovis suis sacrificium offerre, sæpe alias Sacra Congregatio Concilii censuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, & præcipue in dubio applicationis sacrificii proposito, & respective resolutio sub die 10. Maji 1692. his præcis verbis concepto. An Parochus Missam

Missam celebrare teneatur, & sacrificium applicare pro Parochianis in diebus Dominicis, & Festis, sive habeat congruam, sive non? Sacra &c. juxta alias declarationes censuit, teneri, nec posse eisdem diebus aliam Eleemosynam recipere. Ac proinde idem nunc respondendum esse censuerunt Eminentissimi Patres, quoad Parochos Nonantulanæ Diocesis addentes insuper, quod E. V. pro suo Pastoralis zelo, detrectantes Parochos compellere non gravetur &c.

J. Cardinalis Sacripantes Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

Cum autem, sicut dictus Episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse Decretum hujusmodi, quod firmius subsistat, & servetur exactius, Apostolica confirmationis nostræ patrocinio communiri plurimum desideret: Nos specialem ipsi Episcopo gratiam facere volentes, eumque à quibuscumque Excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, & poenis à Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, Decretum præinsertum, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus: salva tamen semper in præmissis auctoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Decernentes, easdem præsentis Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 24. Aprilis 1699. Pontificatus Nostri Anno Octavo.

J. F. Card. Albanus.

48. In Nocte Nativitatis Domini post primam Missam cantatam alia duæ Missæ imme-

diatè non celebrentur, nec Christi fidelibus Sacra Eucharistia ministretur. *Sac. Rit. Congr. die 20. Aprilis 1641. & die 7. Decemb. 1641.* ut apud Pignatell. tom. 7. consult. 25.

49. Non licet Sacerdoti, qui ab uno eleemosynam accipit pro celebranda Missa, aliam quoque eleemosynam accipere ab altero, cui applicet partem illam fructus ipsius celebranti debitam, specialem nuncupatam: sicut non licet duplex stipendium pro unica Missa recipere. *Sac. Congr. Concil. die 25. Januarii 1659.* approbante Alex. VII.

50. Nulli Sacerdoti Sæculari, aut Regulari licet celebrare Missas privatas de Requiem in festis duplicibus. *Sac. Rit. Congr. die 5. Augusti 1662.* Annuente Alex. VII. nisi præsentem corpore, quando dies festus non est de præcepto; nam tunc solum Missa solemnis potest cantari pro Defuncto de Requiem; die Paschæ excepto.

51. Missæ de Requiem annuatim dicendæ juxta benefactorum præscriptum, si incidant in festo duplici, dicantur de eodem festo cum applicatione Sacrificii. *Ead. Congr. d. die 5. Aug. 1662.*

52. Missæ Anniversariæ de Requiem in cantu celebrari possunt etiam in duplici, qui non sit de præcepto. *Sac. Rit. Congr. die 22. Novemb. 1664.* eodem Alex. VII. approbante.

53. Missæ, quæ celebrandæ forent de Requiem ad Altare privilegiatum possunt dici de festo currenti ad idem Altare, & valet Privilegium ac si dictæ essent de Requiem, ut indulget Clemens Papa IX. die 25. Septemb. 1669.

54. Officium, ac Missa recitari non potest de Sanctis, quorum corpora, aut Reliquiæ insignes habentur in Ecclesiis, nisi ea sint descripta in Martyrologio Romano, & fides certa habeatur de eorum identitate. *S. Rit. Congr. die 11. Aug. 1691.* approbante Innoc. XII. excepto tamen, si in contrarium flaret præscriptio immemorabilis, quæ per hoc Decretum non censetur sublata.

55. Missa in festo Patroni Principalioris loci est de præcepto audienda; & vacandum ab operibus servilibus. *Sac. Rit. Congr. die 13. Septemb. 1642.*

56. Quæcumque dies Octava Beatae MARIE Virginis concurrens cum alio duplici minori, habet integras utraque Vesperas. *Ex Decreto S. R. C. dici 11. Augusti 1691.*

57. Concurrentibus duobus festis duplicibus minoribus, nullo habito respectu ad dignitatem Personarum (exceptis Festis B. M. V.) Vesperæ sunt inter ipsa dividendæ, ut specialiter de festo SS. Angelorum Custodum concurrente cum duplici minore statuit *S. Rit. Congr. die 27. Septemb. 1698.*



## EX COMMENTARIIS in Rubricas Missalis.

**Q**uando Rubrica dicit, quoad fieri potest, Missa cum officio conveniat, loquitur Rubric. de privatis Missis: nam Missa Conventualis debet semper concordare cum officio, c. cum creatura de celebrat. Missarum.

Missæ votivæ, quamvis habeant præfationem propriam, si infra Nativitatem Domini celebrantur, non aliam Præfationem admittunt, nisi de Nativitate; Sicur & festum Sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ argumentum à fortiori.

Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Ministrorum debet fieri in primis Vesperis festi. Si autem Vesperæ non sint integræ, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum.

Si officium, & Missa discordant, color Altaris sequitur officium, excepta Missa solemni in Vigilia Pentecostes, & Litanis majoribus, & minoribus.

Pro Missa quacunque solemni convenit, ut pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Missæ, quod adnotavit rectè P. Ruiz in suo Cærem.

Canonicus in Missa celebranda non debet uti Almutia; non enim spectat ad vestes Missæ, vel Altaris.

Qui Missas novas celebrant, non possunt circuire Ecclesiam ad oblationem. Ex Decreto Sacre Congregationis Trid. sess. 22.

Quando Missa votiva exigitur v. g. de Assumptione Beatæ Virginis, de Nativitate ejusdem, & hujusmodi, potest dici Missa votiva de Beata Maria, prout in Missis votivis, cum intentione ad honorem Assumptionis, Nativitatis Beatæ Mariæ, &c.

Si dicatur aliqua Missa votiva de aliquo Sancto, mutatur in Collecta Natalitia, seu festa in verbum, *Commemorationem*.

Orationes, quæ ab Ecclesia certum habent locum, præcedunt quibuscunque votivis, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, & extremum occupant locum, & sicut votiva v. gr. de Spiritu Sancto cedit commemorationi festi simplicis, ita cedere debet Orationi, *A cunctis*, vel aliis, quæ secundo, vel tertio loco jubentur dici; cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus est oratio.

Quando cantantur duæ Missæ à Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, scilicet de Feria, & de Sancto Semiduplici, tunc in Missa de Semiduplici Oratio secunda erit Ecclesiæ, vel pro Papa, neque dicetur tertia Oratio, & ita Romæ fit.

Quando occurrit fieri commemorationem alicujus Sancti v. g. in officio de Beata Maria in Sabbato, tunc in Missa ponitur commemoratio illius Sancti secundo loco, & tertia oratio dicitur, quæ alias secundo loco dicenda erat, & relinquitur quæ tertio loco dicenda foret, nisi fuisset facta commemoratio.

Oratio pro seipso Sacerdote non debet dici in Missa, præsentem Episcopo proprio, vel co majori, vel Principe magno; potius est orandum pro Prælato, seu pro Principe præsentem ob reverentiam eorumdem majorum.

Dominica privilegiata occurrans in die octava, duas tantum habere debet Orationes, de Dominica, & de octava.

In die Depositionis, & Anniversarii Summi Pontificis, pro Cardinalibus, & Episcopis dicitur prima Missa. Pro Sacerdote autem dictis diebus in plerisque Ecclesiis majoribus Romæ dicitur secunda Missa pro Defunctis, mutata Oratione. Si tamen dicatur Missa prima, favet Rubrica in fine Missarum pro Defunctis, quæ concedit Epistolas, & Evangelia unius Missæ dici posse in alia quacunque Missa pro Defunctis.

Oratio in Tertio, Septimo, & Trigesimo dicenda non debet dici in iis diebus, qui occurrunt inter Tertium, Septimum, & Trigesimum, sed tantum in propriis diebus assignatis.

Orationes extra Missam dicuntur semper junctis manibus.

Quando dicitur *Confiteor* in principio Missæ, non debet addi nomen Sancti Patroni loci, vel alterius pro libito Sacerdotis, quia Pius V. hoc expresse concessit Ecclesiis Hispaniarum, non igitur fieri debet sine Papæ licentia.

Dicto Evangelio non defertur laicis liber osculandus ipsius celebrantis, qui proprium eo casu semper osculari debet librum. Ita statuit Sac. Congreg. super negotia Episcoporum 22. & 23. Augusti 1589. Neque Commendatario 17. Septembris 1611. Sac. Rit. Congreg. Bifus Lit. E. num. 147. §. 16.

Omittens Sacerdos osculum libri, omittit etiam *Per Evangelica* &c.

Dari pacem cum patena in Missa prohibuit Pius V. in Epistola ad Episcopum Tarraconensem.

Beneficiarius quilibet habens Ecclesiam, quæ est Tit. beneficii, licet apud eam non resideat, debet tamen festum ejusdem colere, uti primæ Classis, & cum octava celebrare, quia est festum tituli Ecclesiæ.

## I N D E X ARGUMENTORUM DECISIONUM.

### DECISIO I.

#### ARGUMENTUM.

Agitur de Etymologia Sacrificii, & de multiplici ejusdem Denominatione. Voces Litare, Litanis, ac Liturgia, unde dicantur? pag. 1.

### DECISIO II.

#### ARGUMENTUM.

Differitur de duplici Sacrificii acceptione, & de decem generibus Sacrificiorum metaphoricè nominatorum. 1

### DECISIO III.

#### ARGUMENTUM.

Ostenditur, Quæ, & quot sint de essentia Sacrificii. 2

### DECISIO IV.

#### ARGUMENTUM.

Quid sit Sacrificium? Et de ejus vera, atque propria definitione, complectente omnia, quæ concernunt actum Sacrificandi. Et præcipue materiam oblationum. De oblatione filiorum Religionis. A quibus non sint recipiendæ oblationes? Quomodo eas Parochus recipere possit in Missa? 2

### DECISIO V.

#### ARGUMENTUM.

Quare in Definitione Sacrificium dicatur oblatio externa? Quare omnes oblationes non sint Sacrificia? 5

### DECISIO VI.

#### ARGUMENTUM.

Explicantur illa verba definitionis, *Soli Deo facta*. Ostenditur Sacrificium nulli deberi præter Deum. Quæritur an saltem Christo Domino offerri possit Sacrificium ut homini? Narrantur actus latræ interni, & ex-

terni, & quæ sint Adorationis signa? Ostenditur, quàm grave sit scelus eorum, qui Dæmonibus sacrificant; & quibus poenæ sint plectendi. pag. 5

### DECISIO VII.

#### ARGUMENTUM.

Sequitur declaratio definitionis Sacrificii circa illa verba: *Qua in resurrectionem ejus summi Domini*. Necnon illa, quæ sequuntur, videlicet: *A legitimo Ministro*. Et docetur quid sit Religio, ac Divinus cultus? Religionem non esse virtutem Theologicam, sed moralem. Non cuique homini litare licere; sed tantum Sacerdotibus; Hi quinam fuerint in lege Naturæ, Mosaicæ, & Gratiæ, ac apud Gentiles? Quæritur, & ostenditur, quomodo Caro Christi propagata fuerit tum ex Regia stirpe David, tum ex Sacerdotali Aaron? 8

### DECISIO VIII.

#### ARGUMENTUM.

Redditur ratio, ob quam dictum est in definitione Sacrificii, quòd in eo Res aliqua sensibilis, & permanens consecratur, nempe Hostia, vel Victima: Quæ sit horum nominum Etymologia? Quæve, & quot essent Hostiæ, & Victimæ, quibus libabant antiqui tam veri, quàm falsi adoratores? elegantè declaratur. 12

### DECISIO IX.

#### ARGUMENTUM.

Explicantur sequentia definitionis verba: *Ritu Mystico Consecratur*; Declaratur, qui & quot sint Ritus Sacri servandi in Sacrificio Missæ. De Origine, Varietate, Necessitate, & Utilitate Uniformitatis Sacrorum Rituum. Et an in Ecclesia sit potestas decernendi Sacros Ritus, & imperandi eorum uniformem observantiam. De Ritibus in Missa vetustis PP. Ord. Prædicatorum, Carmelitarum, & Carthusiensium. 14